

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Sollicitudo siue occupatio a
cum uariis

Amant peruersi homines pro huius mundi gloria eciam tribulationes cunctisque pro ea sudoribus libenter seruiunt, et grauium laborum iugo deuotissime colla submitunt. Quod bene sub Effraym specie Osee prophetante describitur qui ait: Effraym uitula docta diligere trituram. Vitula enim triture laboribus assueta, relaxata plerumque ad eundem laboris usum eciam non compulsa reuertitur. Ita prauorum mens huius mundi seruitio dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, eciam si sibi libere uacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat.

Gregorius libro XV. moralium.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

eciam *om.* P V¹ V² L¹ L²; diligere] diligens P V¹ V² L¹ L²; laboribus] doloribus (*cor. intra*) M;
libro *om.* C; libro XV. moralium] in moralibus V² L¹ L²